

ciali. n. 7. Imolam ibid n. 18. et 21. et Alexandrum n. 46. ac seqq. Rationem affert : quia c. *Super quæstionum*. § fin. *de Offic. delegat.* dicitur, si iudex tanquam suspectus merito recusetur, et tamen recusatio non admittatur, posse appellari; « quodque post appellationem hujusmodi est præsumptum, judicari debere irritum et inane : » ergo, argumento a sensu contrario desumpto, gesta post recusatorem, tamen ante appellationem, non sunt irrita ipso jure.

328. Sicut, qui distinguunt inter jus canonicum, et civile : et secundum hoc asserunt, non valere attentata post recusatorem, bene tamen spectato jure canonico ; pro qua sententia plures allegat Abbas, c. *Cum speciali*. n. 12. vers. *Quarta fuit*. h. t. Alii apud Abbatem cit. n. 12. vers. *Tertia*. quos sequitur Engel, h. t. n. 57. volunt, validitatem talium gestorum post recusatorem attentatorum, pendere ex futuro eventu admissæ, vel non admissæ recusatorem. Nam si pronuntietur, hanc non tenuisse, valebunt (inquiunt) ejusmodi gesta : sin minus, non valebunt : sicut in simili dicitur in attentatis per judicem a quo post appellationem ab interlocutoria, c. *Non solum*. h. t. in 6.

329. *Relatio, quid?* — Quæritur IV. Quid sit relatio? Resp. I. Relatio est judicis inferioris in causa de jure dubitantis, ad superiorem, sive principem transmissa consultatio, ut sciat, quid in judicando sequi debeat. Ita Vallensis, h. t. § 20. n. 3; Pirhing, n. 278. et alii. Dicitur notanter, « de jure dubitantis : » quia in dubiis de facto, sive de veritate gestorum, relatio non habet, locum, l. *Eum quem*. ff. *de Judiciis*. Quia imo, quando fit relatio, oportet totum factum plene instructum referre ad principem, et tunc ejus sententiam expectare, l. I. c. *de Relatione*. Nam pendente relatione, officium inferioris Judicis conquiescit, l. ult. c. eod.

330. *Relationes de facto propemodum abierunt in desuetudinem. Judices ipsi tenentur causam sententialiter terminare, omissis relationibus.* — De facto tamen hujusmodi relationes utroque jure propemodum in desuetudinem abierunt. Nam quia teste experientia compertum fuit, lites nimium protrahi, dum post longam causæ disceptationem, tandem adhuc ad principem, plurimis aliis negotiis distentum, fiebat recursus, causaque ipsa plene prius instructa (data prius copia utriusque parti litigantium) ad ipsum referebatur. Hinc in Auth. « Ut judices non expectent sa-

cras jussiones, » etc. collat. 9. provide statutum fuit, ut ipsimet judices, omissis relationibus, causam perfecte examinatas, sententialiter terminent, eamque executioni demandent; nisi partes, quæ per sententiam sese gravatas censent, ab eadem appellaverint.

331. *Licetum tamen est, in dubio juris principem consultare.* — Cæterum his non obstantibus licetum est, in dubio juris, præsertim ob pugnam rationum, aut verborum legis ambiguitatem subortam, principem consultare, ut respondeat super illo dubio puncto juris. Siquidem, stricte loquendo, consultatio, et relatio differunt : nam per relationem tota causa ad superiorem refertur, ut ejus judiciali sententia definiatur : sicque iudex inferior sese privat potestate judicandi, totam causam transferendo in superiorem, prout olim frequenter fieri solebat. Secus fit in consultatione : nam per hanc princeps solum consultitur super dubio juris; et tunc inferior facta consultatione, et juxta datum responsum judicat, fertque in causa sententia. Late tamen loquendo, relatio, et consultatio promiscue sumuntur; Pirhing, h. t. n. 279. (ADNOTATIONES XXIII et XXIV.)

TITULUS XXIX.

De Clericis peregrinantibus.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Quia peregrinatio ad Sedem apostolicam, rem et effectum habet appellationis, dummodo secuta sit intra decem dies a die late sententiæ, seu illati gravaminis, fueritque intimata judici : cum talis, qui inter ad Sedem apostolicam arripit, censeatur ipso facto appellare; quod plus est, quam verbis appellare, c. *Dilecti filii*. 52. *de Appellatione*. Ideo post appellationes subjicitur præsens titulus *De Clericis peregrinantibus*. Qui titulus qualiter differat a tit. XXII. libri primi *Decretalium*, « De Clericis peregrinis » inscriptio, ibidem n. 1. jam dictum est.

2. *Statuta de clericis peregrinantibus etiam procedunt in laicis peregrinantibus ad Sedem apostolicam.* — Et quamvis in rubrica hujus tituli fiat mentio de solis clericis; nihilominus, quæ de his statuuntur, etiam locum habeant in laicis peregrinantibus ad Sedem præfatam. Siquidem causa dispositionis,

quæ habetur cap. un. h. t. est generalis; ac etiam habet locum in laicis, ibi : « Tamen cum hi, qui accedunt ad præsentiam nostram, cum rebus eorum debeant esse sub Apostolica protectione securi. » Concordat can. *Si quis Romipetas*. et can. *Paternarum*. 24. q. 3.

3. *Peregrinantes ad Sedem apostolicam, constituti sunt sub hujus protectione.* — Itaque peregrinantes ad Sedem apostolicam, hoc ipso sunt constituti sub hujus protectione : et si quid eisdem post iter arreptum subtrahatur, vel auferatur, id omne ipsius restituendum est, cap. un. h. t. juncto Summario, et doctoribus ibid.

4. *Et omnia, interim contra ipsos attentata, revocantur.* — Et istud extenditur etiam ad ea, quæ interim taliter peregrinantibus in judicio per processum, et sententiam judicis auferuntur : nam omnia attentata post tale iter arreptum, sive extra judicium per privatum, sive in judicio per sententiam judicis attententur, revocari debent : adeo, ut processus per judicem contra talem peregrinantem factus, licet cæteroquin justus, ipso jure non valeat. Generaliter enim, accedentes ad papam, cum suis rebus debent sub protectione apostolica esse securi.

5. *Nisi quis eorum ab inferiori judice fuerit citatione præventus.* — Excipe, nisi accedens ad Sedem apostolicam ab inferiori judice, sive ordinario, sive delegato, fuerit citatione præventus, antequam iter arripuerit. Quia tunc, utpote ab altero jam præventus, non posset amplius ipsius Forum declinare; ut c. *Ad hæc sicut asseris*. 30. *de Appellat.* et c. *Proposuisti*. 19. *de Foro compet.* Et iudex sive ordinarius, sive delegatus, procedere poterit in causa; non obstante, quod reus post citationem iter arripuerit ad Sedem apostolicam, c. *Meminimus*. 9. et c. *Suggestum est*. 15. et d. c. *Ad hæc sicut asseris*. 30. *de Appellat.* Secus, si ante factam citationem reus ejusmodi iter arripuerit : nam tunc iudex inferior nequit in causa procedere; prout dicitur in juribus proxime allegatis. (ADNOTATIO XXV.)

TITULUS XXX.

De Confirmatione utili, vel inutili.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Visum est duobus præcedentibus titulis de suspen-

sione sententiæ judicialis, sive jurisdictionis judicis, quæ fit mediante appellatione, atque peregrinatione ad Sedem apostolicam. Nunc vicissim ultimo hoc secundi libri *Decretalium* titulo, agit compilerator de confirmatione, tum utili, tum inutili, sententiæ judicialis; simul etiam agendo de confirmatione instrumentorum, privilegiorum, et aliarum rerum. Unde

2. *Confirmatio quid?* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit confirmatio. Resp. I. *Confirmatio*, quantum ad propositum est juris quocunque modo quæsiti per legitimum superiorem facta corroboratio. Ita Hostiensis in *Summa* h. t. n. 1; Barbosa ad rubric. h. t. n. 5. Pirhing n. 1. Sannig eod. n. 2. et alii.

3. *Supponit jus aliquo modo quæsitum.* — Dicitur, « corroboratio : » quæ particula stat loco generis, ac sumitur hic latissime. Et additur, per « legitimum superiorem : » ad excludendas eas, quæ a personis privatis geruntur; et magis approbationes, quam confirmationes, dici possunt. Dicitur ulterius, « juris quocunque modo quæsiti : » ad complectendam utramque confirmationis speciem, videlicet tam datæ in forma communi, quam ex certa scientia : nam utraque jus aliquo modo quæsitum corroborat; illa jus legitime quæsitum; hæc jus nulliter, et de facto duntaxat quæsitum. Simulque per hanc particulam natura confirmationis magis declaratur : qui enim confirmat, nihil de novo dat, sed datum, vel aliter quæsitum corroborat, l. *Et quia*. ff. *de Jurisdic. omn. judic.* Hostiensis cit. n. 1. junctis dicendis infra n. 15.

4. *Confirmatio in forma communi, seu simplex, quæ?* — Resp. II. Confirmatio est duplex, una in forma communi; alia in forma speciali, seu ex certa scientia. Ita Barbosa, loc. cit. n. 6; Pirhing, h. t. n. 2. Sannig, eod. n. 3. et seqq. et alii communiter. « Confirmatio in forma communi (quæ et confirmatio simplex, atque ordinaria) appellatur ea est, qua superior non præcedente alia cognitione causæ actum ab inferioribus gestum confirmat in eo statu, in qua prius fuerat.

5. *Hæc nullum jus novum tribuit, sed supponit actum jam validum.* — Et additur notanter ly, « in eo statu, in quo prius fuerat. » Siquidem confirmatio in forma communi, nullum jus novum, neque valorem tribuit illi, cui accedit : sed supponit actum jam validum, eumque approbat, quatenus de jure validus existit. Glossa cap. i. §. *Confirmatio*

nem. et Abbas, ibid. n. 6. h. t.; Pirhing, eod., numer. 3; Sannig, numer. 4. et alii, istud comprobantes ex cap. i. et ii. h. t. ubi satis indicatur, confirmationem in forma communi non facere actum de novo validum, qui prius erat invalidus. Id ipsum probatur claris verbis ex c. *Quia diversitatem*. 5. de *concess. præbend.* ubi dicitur: « Non obstante confirmatione a Sede apostolica obtenta sub forma communi, quæ confirmat beneficia et præbendas, sicut juste et pacifice possidentur. » Accedit textus in c. *Cum dilecta*. 4. h. t. ubi pontifex in simili sic loquitur: « Nolentes quod ex innovatione hujusmodi novum jus Monasterio acquiratur; sed antiquum (si quod habet) per innovationem privilegii conservetur. » Concordat illud, quod habetur can. *Præceptis*, dist. 12. ibi: « Non novum aliquid præsentis jussione præcipimus, sed illa, quæ olim videntur indulta, confirmamus; » cum similibus.

6. *Et cur idcirco non sit inutilis?* — Dices. Ergo confirmationes in forma communi datæ a Sede apostolica, ad nihil proderunt: quia vel supponunt actum jam validum, vel etiam ipsæ erunt invalidæ. Resp. negando sequentiam. Quia, ut notat Abbas, cap. i. n. 6. h. t. licet confirmatio in forma communi cujuscunque rei facta per papam, jus novum non tribuat, adhuc tamen non est inutilis; tum quia solet impetrari ad cautelam, ne quis improvide, ac sine scientia papæ videatur procedere; tum quia confirmatio in forma communi solet impetrari, et dari, ut magis timeatur: nam solet plus timeri, quod specialiter, ac præsertim per Principem supremum disponitur, arg. can. *Quantquam*, dist. 23; tum tandem, quia confirmatio v. g. electionis, data in forma communi, tribuit electo potestatem administrandi; ut c. *Transmissam*, 15. et c. *Qualiter*, 17. de *Election.* Alioquin vero hujusmodi confirmationes in forma communi parum valent; ut ait Glossa cap. i. §. *Confirmationem*, h. t.

7. *Confirmatio in forma speciali, ac ex certa scientia, quæ?* — « Confirmatio in forma speciali, atque ex certa scientia, » dicitur ea, quæ fit cum perfecta notitia totius negotii, et omnium ejus circumstantiarum. Et hujusmodi confirmatio facta ex certa scientia, novum jus tribuit actui; eumque, si forsitan antea invalidus fuisset, firmum reddit, atque validum; ut cap. i. de *Transaction.* juncta Glossa fin. ibid. et notat alia Glossa in c.

Ecclesia sanctæ Mariæ. 10. §. *Ab Ecclesia de Constitut.* Barbosa ad rubric. h. t., n. 8, Pirhing n. 4. et communis. Siquidem hujusmodi confirmatio ex certa scientia, non est nuda et simplex confirmatio; sed potius est nova concessio, atque in effectu dispensatio: ideoque vim habet, actum cæteroquin nullum, reddendi validum.

8. *Unde colligi possit, confirmationem esse factam, in forma speciali, et non tantum in forma communi?* — Quod si petas, unde colligi possit, confirmationem esse factam in forma speciali, et non tantum in forma communi? Resp. Istud colligi ex sequentibus signis. Primo videlicet, si tenor totius privilegii, aut instrumenti, inseritur ipsi confirmationi; vel saltem apponitur clausula, « ex certa scientia: » quia tunc principi affirmanti, se sufficientem rei notitiam habuisse, sicque non ignorasse defectum aliquem, qui ejus potestatem impedire potuisset, credendum est, Clem. un. de *Probation.* Abbas c. *Examinata*, in fin. h. t. Deinde idem est dicendum, si pontifex apponat clausulam, *Sublata*, etc.; Barbosa, tract. de *Clausulis*, claus. 175. n. 22. et seqq. Aut, si confirmatio fiat per verba æquipollentia: ut puta, sub clausula, « Ex plenitudine potestatis: » vel, « Non obstante quacunque lege, seu consuetudine in contrarium, » etc. Pirhing, h. t. n. 8. Barbosa, claus. 82. et seqq. citans alios: et multo magis, si addatur clausula illa, « Supplentes omnes juris et facti defectus. » Barbosa, loc. cit. claus. 177. cum plurimis aliis. Huc accedant dicenda inferius, n. 20. et seqq.

9. *Confirmatio alia utilis, alia inutilis; et quæ?* — Resp. III. Ulterius confirmatio alia censetur utilis, alia inutilis; ut patet ex rubric. h. t. Et quidem « Confirmatio dicitur utilis, » quando est valida: et tali nequit iudex inferior contravenire, nec de ea judicare potest, cap. i. et ii. h. t. E contra « Confirmatio inutilis » vocatur ea, quæ non valet: unde merito censetur inutilis, atque nullius valoris. Talis est quæ obreptitiae vel subreptitiae fuit obtenta: narrato scilicet falso, aut suppresso vero, quod de jure exprimi debuisset; ut c. *Bonæ*, 3. et c. *Ad nostram*, 5. cum. 2. seqq. h. t. juncto c. *Super litteris*, 20. de *Rescriptis*. XXX. SUBJUTIT

10. *In dubio an censeatur esse confirmatio in forma speciali?* — Quæritur II. Utrum si a lege, vel alia dispositione fiat mentio de confirmatione, in dubio censeatur, eam esse

confirmationem in forma speciali, vel communi? Resp. In resolutione hujus quæstionis non convenire doctores.

11. *Refertur sententia asserentium, tunc videri datam confirmationem in forma speciali.* — Et quidem Glossa fin. in cap. i. h. t. et Joan. Andreas c. *Venerabilis*, n. 9. eod. et Abbas c. *Examinata*, n. 5, h. t., asserunt, quod si papa confirmet aliquid simpliciter nulla clausula apposita, nec expresso tenore confirmati, videatur confirmare in forma speciali, ac ex certa scientia. Fundamentum hujus sententiæ est: quia (ut argumentatur Abbas, ibid.) verbum *confirmo*, alio non expresso, ex sui natura importat, ut rem faciat firmam; prout desumitur ex c. *Inter dilectos*, 6. §. *Cæterum de Fide instrument.* ubi loquendo de instrumento confirmatorio, dicitur: « Ut tamen intelligatur eo modo, quo magis posset valere. » Unde Glossa ibid. §. *Valere*, exinde notat, quod sic facienda sit interpretatio, ut res de qua agitur, magis valeat, quam pereat, c. *Abbate de Verb. signif.* cum concordantiis: et consequenter, stante dubio, videtur confirmatio esse specialis, et non mere data in forma communi; cum hæc parum, aut nihil valeat, bene tamen illa.

12. *Dummodo non præjudicet juri communi.* — Limitat tamen istud Abbas loc. cit. n. 5. et 6. dummodo confirmatio non sit contra jus. Nam in dubio non censetur aliquid concedi contra jus commune, nisi id specialiter exprimatur: ut c. *Nonnulli*, 28. de *Rescript.* juncto c. 1. de *Excessibus Prælat.* in 6.

13. *Opposita sententia asserens, in dubio censeri, confirmationem esse factam in forma communi, est communior et probabilior.* — Oppositam vero sententiam, sive quod in dubio censeri debeat, confirmationem esse factam in forma communi; ex professo tradit Barbosa in c. *De Confirmationibus*, n. 3. h. t. allegans Glossam penult. in l. *Ex verbis*, c. *de Donat. inter. vir. et uxor.* et Innocentium communiter receptum in c. *Dudum*, in fin. de *Decimis*; Cardin. Tuschus litt. c. concl. 708, n. 2, ac seqq. Alexander, concl. 59. n. 8. lib. I. asserens, quod certa scientia non præsumatur, nisi probetur; Pirhing, h. t. n. 16. citans Decium ad rubric. h. t. n. 7; Gailus, lib. II. *Practic.* observat. 1. n. 17; et Jason l. *More*, n. 30. ff. de *Jurisdiction. omn. judic.* dicens cum aliis, quod in dubio præsumatur princeps confirmasse eo modo, quo

potest de jure communi, non autem de plenitudine potestatis. Atque hæc sententia, sicut est communior doctorum, ita videtur probabilior, meritoque retinenda, saltem ubi agitur de præjudicio tertii. Accedit ratio, quia confirmatio ex certa scientia tunc censetur facta, quando vel istud exprimitur; ut cap. i. de *Constitut.* in 6. et c. *Si motu*, 23. de *Præbend.* in 6. vel saltem ea fit per principem cum notitia perfecta totius negotii, et omnium ejus circumstantiarum, juxta dicta n. 7. et 8. Atqui stante dubio, nullum horum habetur; ergo.

14. *Eadem probatur amplius. Concessio principis in dubio est interpretanda, ut nulli tertio irrogetur præjudicium.* — Deinde concessio principis in dubio, et nisi secus exprimatur, interpretanda est, ut nulli tertio irrogetur præjudicium, c. *Super eo*, 15. de *Offic. delegat.* estque amplius dictum lib. I. tit. III. de *Rescriptis*, n. 132. et 142. Atqui in proposito irrogaretur præjudicium tertio, si stante dubio intelligitur confirmatio facta ex certa scientia: nullum, si in forma communi, ergo. Et hinc in c. *Dudum*, 31. de *Decimis*, confirmatio Sedis apostolicæ simpliciter facta, accipitur de confirmatione in forma communi; ita, ut nulli tertio generetur præjudicium.

15. *Solvuntur rationes prioris sententiæ. Confirmatio actum ex se invalidum, non reddit validum; nisi is aliunde reddatur validus.* — Nec obstant rationes n. 10. in oppositum allatæ. Nam imprimis verbum, *confirmo*, reddit quidem actum firmum, sed juxta propriam naturam ipsius: ita videlicet, ut si actus a parte rei ante sit validus, firmior reddatur; saltem ex eo, quia plus solet timeri, quod singulariter confirmatur, arg. c. *Quantquam*, dist. 23. Non tamen verbum, *confirmo*, ex sui natura, et nisi aliud exprimatur, actum ex se invalidum reddit validum. Quin potius oppositum inde deducitur: nam quod non est, condemnari nequit; cum qualitas puta confirmatio, supponat subjectum. Intellige, nisi aliunde actus ille reddatur validus, nempe ex absoluta auctoritate principis: prout accidit in confirmatione speciali, sive facta ex certa scientia.

16. Ad cit. c. *Inter dilectos*, 6. de *Fide instrument.* dicitur, illud stare in oppositum; nam paulo inferius ejusmodi instrumentum confirmatorium Henrici (ut dicebatur) Imperatoris reprobatur, ibi: « Cum igitur privilegium Henrici confirmatorium tantum exti-